





*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*





XVI  
1615.3.  
8  
DECAS  
PROBLEMATUM  
LOGICORUM,

DE  
CAUSIS  
IN GENERE ET  
SPECIE:

Examini publico subjecta,  
In Servestano Gymnasio, XXVI. Maji,  
Horis matutinis:

PRAESIDE

M. MARCO FRIDERICO VVENDE-  
LINO, GYMNASII  
Rectore:

RESPONDENTE

JOHANNES GRAFIO  
Ambergâ-Palatino.

---

SERVESTAE

Typis Zachariae Dörfferi, ANNO M. DC. XV.





Equeſtri ſplendore, antiquâ generis profapiâ,  
egregiâ virtutum omnium gratiâ, præclarâ eruditio-  
nis laude, prudentiæ & autoritatis

vigore

Verè Nobiliſſimis Viris

DN. THEODORICO A Winterfeld / IN Metweg Sereniſ-  
ſimi principis ac Domini, Dn. Friderici. V. Electoris  
Palatini &c. Conſiliario, & provinciæ Neopyrgi ad ſyl-  
vam Gabrettam præfecto.

ET,

DN. BURCKHARDO AB Erlach / IN Altenburg Illuſtris-  
ſimi principis ac Domini, DN. Chriſtiani Principis  
Anhaltini, Proprincipis Palatinatus ſuperioris, à ſecre-  
tis conſiliis primario & aulæ præfecto.

NEC NON

Viris

Amplitudine, Prudentiâ, multoq; rerum uſu  
præſtantiffimis

DNN. CONSULIBUS

Dn. Johanni Wibmer

Dn. Caſparo Meyer.

Dn. Georgio Rog

Dn. VVolffgango Bock.

Ut &

Prudentiſſimo Dn. Johanni Wolschlager Eccleſiaſtica-  
rum rerum præfecto ac propatri,

Cæterisq; inclytæ Ambergienſium Reip. aſſeffori-  
bus vigilantiffimis,

Dominis Mecænatibus, Patronis & Promotoribus  
meis maximis, ac multis nomi-  
bus honorandis.

*Obſervantiæ ac gratitudinis ergo Decadem  
hanc Problem. Logic. devotè dicat  
& conſecrat*

Johannes Graf Amberg. Palat.





DECAS PROBLEMATVM,  
De Causis in genere & specie.

PROBLEMA. I.

*An sint quatuor tantum causarum genera:  
Finis, Efficiens, Materia, Forma?*

*Aff.*



*E* causarum numero in veterum scholis varie olim nata sunt sententia: paucis medium tenentibus, pluribus per extrema defectus vel excessus sese precipitantibus. Hinc Seneca, Ea, quæ ponitur causarum turba, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit. Et ita sanè se rem habere veterum testantur monumenta. Solum finem appellat causam Socrates, in Platonis Phædone. Solam efficientem, Stoici. Efficientem, materiam & finem, veteres physici. Aristoteles formam his adjicit. Plato Ideam seu causam exemplarem. Peccarunt igitur in defectu Socrates, Stoici, veteres physici: in excessu Plato: medium tenuit Aristoteles: Cujus ad hunc usq; diem propagatum est dogma, & magno in scholis applausu propugnatum. His ne nostro deesse videamur suffragio, pro quaternario causarum numero sic pugnamus.

I. Ponamus effectum aliquod naturale sensibus obvium: Hominem. Quot igitur ad hominem constituendum concurrent cause, tot quoq; numerandæ erunt, non plures, vel pauciores. At quatuor tantum concurrunt. Tot igitur numerandæ sunt, nec plures, nec pauciores. Probatum propositio, quia, fatentibus omnibus, non potest produci homo, nisi causis omnibus concurrentibus. Assumptio probatur. Homo aut fit à se, aut ab alio. Prius dici non potest, quia, quod est à se, independens est. At creatu-

A 2

rarum



rarum nulla est independens. Est igitur ab alio. Causam igitur habet efficientem. Hæc verò effectum produxit, vel ex nihilo, vel ex aliquo: non ex nihilo: quia ex nihilo per naturam nihil fit. E. Ex aliquo. Datur igitur materia, ex quâ factus est homo. Materia hæc cum sola intrinsecè hominem non constituat, quippe quæ imperfecta est in se, & ad suppositi naturam absolvendam operationesq; speciei convenientes producendas insufficiens, nobilius aliquid & se perfectius requirit, quod hominis essentiam absolvat, & humana nature convenientes operationes producat: id verò aliud nihil est, nisi forma, quæ materia unita compositum, scilicet hominem, efficit. Tertium ergò causæ genus, forma, dabitur. Hancine verè frustra in materiam introductam dicemus? Absit ut hac contumeliâ vel Deum vel hominem afficiamus. Dabitur ergò & finis hominis. Et sic quatuor ad hominem producendum concurrent cause.

II. Veteres ex inventione materia ad reliquarum causarum investigationem progressos esse testatur Aristoteles lib. 1. Metaphys. 3. Progressus autem institui talis potest. Datâ materiâ, aliæ necessario tres cause dantur: Cum enim materia, quâ talis, moveri ex se nequeat, movente indigebit, quod efficiens vocatur. Efficiens verò omne, ex instituto DEI, cum finem sibi habeat præstitutum, tertium causæ genus monstrat. Cumq; nec materia sine formâ possit subsistere, nec efficientis in materiam actio alio spectet, quam ut formam introducat, quæ compositum interne absolvat, quartum causæ genus sese prodet, numerumq; à nobis definitum complebit. Eodem discursu ex formæ inventione ad reliquarum causarum investigationem licet progredi. Imò quodcunq; causæ genus sumas, trium reliquorum auxilio egere facilimè patebit.

Quid ergò de veterum quorundam sententiis, quas modò commemoravimus, judicandum sit, e nostri dogmatis confirmatione cuiusvis prònum est colligere. Videtur tamen difficultatis nonnihil facessere Idæa Platonica, quam quintû causæ genus constituit autor: vulgus exemplarē causam vocat. Quamvis autem ad quatuor hæc causarum genera doctissimi quiq; exemplar referre non dubitarint; de certo tamē causæ genere, cui accenseri id possit, etiamnum digladiantur acerrimè, aliis ad finalem, aliis ad formalem, aliis deniq; ad efficientem causam referentibus. Et in formalibus quidem numerandum esse contendit Fonseca cum scholasticis plurimis lib. 1. Metaphys. cap. 7. quæst. 1. sect. 5. Contra in efficientibus  
ponit



ponit Franciscus Suarez disputat metaphys. tomò priori disp. 25. sect. 2. context. 8. Cui & ipsi scholasticorum nonnulli assentiuntur: nec nos dissentimus. Rationes nostræ sententiæ has damus.

1. Nec ad materiam, nec ad finem, nec ad formam referri potest exemplar. E. Ad efficientem necessario referendum, siquidem distinctum cause genus non constituit. Antecedens probo. I. De materia & forma. 1. Materia & forma principia sunt essentiam compositi extræ artificis intellectum constituti constituentia. Idæa est in intellectu artificis. 2. Compositum, sublatâ materiâ vel formâ, tollitur. At sublatâ ex artificis mente Idæa non tollitur: potest enim incolume esse exemplar externum & reale, sublato interno & intentionali: & tolli, posito. II. De fine. 1. Finis posterior est efficiente omni quoad existentiam: produci- tur enim per efficientem, non item Idæa. In agentibus enim artificialibus per intellectum, Idæa præcedit omnem operationem extrinsecam. 2. Finis dat amabilitatem mediis. At media propter Idæam non eliguntur vel amantur: quia Idæa est ante conquistâ media. Reliquum igitur ut ad efficientem causam exemplar redigamus, quod & hac demonstra- ri potest ratione.

Ad artificis actionem, fatentibus omnibus: tria concurrunt, volun- tas, ars & potentia exequens. At voluntas movens potentiam exe- quentem, ad efficientis cause genus pertinet: Ars item dirigens & deter- minans illam. Quemadmodum ergo ad potentiam exequentem se habet ars: ita ad artem exemplar. Sed ars dirigens potentiam exequentem ad eam se habet ut efficiens. E. Et exemplar dirigens artem eodem se modo habebit. Hactenus primum problema.

## PROBLEMA II.

An rectè causæ distinguantur in  
externas & internas?

Aff.

Duplex in scholis causarum distinctio celebratur. Lycæum in externas &  
internas distinguit. Externas definit, quæ ad effectum constituendum

A 3

extrin-



extrinsecus concurrunt. Internas, quæ ipsam rei essentiam intrinse cæ ab-  
solvunt. Illis, efficientem & finem: istis, materiam & formam annume-  
rat. Videatur Aristot. 12. metaph. cap. 4. & Franciscus Suarez tom. 1.  
diss. disp. 12. sect. 3. art. 19.

Ramus bis binas species, ob vocabuli penuriam, pro duobus generibus  
ponendo, priori efficientem & materiam, posteriori formam & finem ac-  
censet. Queritur igitur, utra pars in Logicis audienda sit potius. Nos  
pro lycæo deponimus, modo finem efficiente priorem statuatur, hac usi ra-  
tione.

Illam causarum distributio in logicis est admittenda, quæ non natura-  
lem tantum causarum ordinem, sed & modum ad effecti constitutionem  
concurrere ostendit. At talis est Peripatetica. Ergo.

Propositionem probo. 1. Quia logica methodi mater contra or-  
dinem nil debet committere. 2. Quia, cum diversa causarum sit ratio  
in effectu constituendo, ejusmodi earum distribuendarum ineunda est via,  
quæ modum cuiusque, quo ad effecti constitutionem concurrat, ostendat. As-  
sumtionem probo, primum, quoad ordinem: Naturalis causarum ordo est  
ut finis precedat efficientem, efficiens materiam, materia formam. Me-  
rito igitur in distributione idem servatur ordo. Antecedens, quoad effi-  
cientis, materie & forme ordinem, nil habet dubij: finis, verò primatus  
non ab omnibus tantum Ramæis, sed & plurimis Peripateticis oppugna-  
tur; nos eum ita propugnamus. Causa quæ ante omnes alias vim cau-  
sandi exercet, omnium est prima. Atqui finis ante omnes alias vim cau-  
sandi exercet. Ergo. Propositionem probo. 1. Quia efficiens eodem  
argumento materiâ & formâ prior demonstratur: Cum enim induci in  
materiam forma non possit, nisi ab efficiente prius elaboratam, philosophi  
& cum ipsis sana ratio concludit, materiâ & formâ efficientem esse prio-  
rem. 2. Quia causa, quæ causa, ad effectum primario refertur, tan-  
quam relatum ad correlatum: ex fundamento igitur, seu causatione a-  
ctivâ, de ordine ad effectum producendum, judicium est ferendum. As-  
sumtionem ad unum omnes Philosophi approbant. Finis enim propria  
causalitas est, primum, efficientem sui desiderio ad effectum producendum  
movere: deinde, medijs bonitatem, amabilitatem & ordinem conciliare,  
quod & ipse, sub boni ratione, prestat. Atqui verò omnia hæc cujusvis  
causæ vim antecedunt; immota enim efficiens, nisi à fine excitetur: media  
sæpe, & consequenter effectus ipse negligetur, nisi bonitate sua grata fi-  
nis



nis efficeret, quæ natura aliàs averfaretur. Sic ergo finis primatus solidè satis demonstratur: quamvis Slutero lib. 1. anatomie Rameæ logicae cap. 8. discursus noster improbetur. Primum enim primarij nostri syllogismi negat propositionem: nos eam duabus rationibus approbavimus. Sed quod tandem negationis suæ fundamentum adducit Sluterus? Primum, inquit, aliud est actio, aliud ipsa causa finalis. Quis hoc nescit Slutere? Siccine verò primatu suo finem exuis? Rationem ergo cedo ponderosiorum. Si tum finis, inquis, nondum actu est, quando efficientem ad agendum movet, quomodo causarum prima? At, inquam ego, si actu operatur, ut tute concedis, nonne actu erit causa, si maxime actu præfenti nondum existat. Peculiare hoc finis privilegium, ut causa sit, adeoq; agat, non quæ actu efficienti præfens existit, sed quæ existere est potis. Sic enim axioma tuum primum habet. Finis non est causa, neq; rationem habet finis, quatenus actu agenti præfens, sed quatenus futurus, & acquiri vel secundum effectum, vel secundum possessionem possibilis est: Addis rationem, finis enim causa est cujus gratia aliquid fit, nihil autem fit ejus gratia, quod actu præfens est, & à causa efficiente obtinetur: Hinc tuâ de fundâ ita prosternimus. Si finis actu agenti præfens, causa non est, sed ut possibilis tantum & acquirendus, secundum actualem existentiam locus vel primus vel postremus in causis ei assignandus non est: Quod enim causa non est, nec prima nec postrema esse causa potest. Atqui verum prius, temetipso sanciente. E. Et posterius. Sed audiamus amplius arguentem, & rationem nostram planè evertentem. Finis, inquit, est ultimus in executione, & non tantum ante, sed etiam post reliquas causas actionem suam exercet. E. Rectè dicitur postrema omnium causarum. At verò de antecedentis veritate, quæ nobis persuadeas, Slutere? negamus id tibi rotundè. Primum præpostera est illa locutio, quantumvis vulgò receptissima: finis est ultimus in executione. Finis enira, quæ finis, id est causa, non ut patiens, sed ut agens est attendendus: rationem igitur causæ non habet, quæ producit, sed quæ producit. Consideratus ergo ut ultimus executione, effectum est, non causa. Deinde posterior illa sententia, finis actionem suam exercet etiam post reliquas causas, falsa est. Finis enim causalitas, temetipso iudice, aliud nihil est, quam esse id cujus gratia aliquid fit, sive motu metaphorico moveatur efficiens, sive intentio agendi, sive ipsa mediorum attendatur electio. Ecquæ verò hæc finis causalitas, quam post reliquas causas



causas exercet? Haecenus primi nostri syllogismi assumptio, quoad ordinem, est approbata. Ostendi porro modum in hac causarum distributione, quo ad effecti productionem concurrunt singula, res ipsa loquitur: quando essentia extrinsecè non nisi à fine & efficiente pendet, intrinsecè verò non nisi à materiâ & formâ constituitur. Rectè igitur cause in externas & internas distribuuntur: quod erat demonstrandum.

### PROBLEMA III.

Sit ne in iis, quæ agunt per intellectum, finis causa, secundum esse intentionale, an reale? Affirmatur posterius.

Duplex finis esse (sic enim loqui cum multis liceat) in scholis traditur intentionale & reale. Intentionale, est conceptus finis in mente operantis existens. Reale, est finis extra mentem existentia futura. Sic sanitas in egroti corpus inducenda duplex habet esse, intentionale, quæ in mente Medici est eam intendentis. Reale, quæ in egroti corpus per Medici operationem realiter est introducenda. Queritur igitur haud immerito: Ultrum esse finalis cause nomen mereatur. Pro intentionali pugnat Soncinas lib. 5. metaph. q. 3. quam in sententiam nonnulli trahunt Thomam 1. 2. q. 31. art. 3. ad primum: Pro reali melior Philosophorum pars certat. Fonseca 5. metaphys. cap. 2. q. 11. sect. 2. 3. Pererius lib. 8. de causis cap. 4. Suarez tomo 1. disput. 23. sect. 8. art. 6. Javell. lib. 5. metaphys. q. 6. Ferrariensis lib. 1. contra gentes cap. 44. Hannibal lib. 3. comment. in Mercurij Pimandr. com. 7. q. 1. cap. 4. Parti huic tanquam meliori subscribimus, eamq; duabus rationibus propugnamus.

I. Secundum illud esse finis est causa, quo movet & allicit efficientem. Atqui secundum esse reale movet & allicit causam efficientem. E. Propositio constat: quia proprium finis, quæ causa, est movere efficientem ad sui acquisitionem. Assumptio probatur. Primò: Secundum illud esse movet finis, quod appetitur & desideratur. Atqui esse reale, non intentionale, appetitur. E.

Pro-



*Probatur propositio, quia in appetitu efficientis finis deprehenditur motus: movet enim is & allicit bonitate sua appetitum. Assumptio patet. Quis enim medicus intentionalis sanitatis acquirendae causam laboret, quae mente jam circumgestatur? reali sanitate consultum est egroto, non intentionali. Deinde: Secundum illud esse efficientem causam finis movet, secundum quod, nisi obtineat, frustra dicitur laborasse. Atqui secundum esse finis reale, nisi obtineat, frustra dicitur laborasse. Ergo. Propositionem ponit & demonstrat Aristoteles. 2. phys. cap. 6. text. 62. Assumptio constat: Esse enim finis intentionale semper obtinet efficiens, nec ejus acquirendi gratia laborat unquam: haec prior sit ratio.*

*II. Omnia, quae de fine, qui finalem causandi rationem exercet, dicuntur, conveniunt ei secundum esse reale, non intentionale. Ergo secundum esse reale est causa. Antecedens patet è dictis: finis est id cujus gratia aliquid fit: finis amabilitatem conciliat mediis: finis praesens desiderium agentis satiat: primum est in intentione, quae omnia de fine reali accipienda esse quis nescit? Ecquis enim amarum potionem, ejus, quam animo versat, quamq; presentissimam habet, sanitatis acquirendae gratia, exhauriat? quis amaritiam amabilem propter intentionalem finem habeat? Cujus desiderium hujus satiatur praesentia? quis hunc intendat? Concludimus igitur, finem causam esse secundum realem, non intentionalem essentiam.*

#### PROBLEMA IV.

An finis causalitas propria sit, perficere finitum? Neg.

*Scaligeri effatum est exerc. 254. Finem esse ejus, cujus finis est, perfectionem. Hinc colligit Guilhelmus Ursinus lib. 1. Ramea dialectica diasepse. 3. Propriam finis causalitatem esse, perficere rem jam suis causis essentialibus constitutam. Exemplum adducit Scaliger, si finis, inquit, itineris mei est, videre familiam, visionis actione perficiet. Sic sanitas medico proposita egrotum perficit. Hanc finis causalitatem intelligit dubio procul Sluterus, dum inquit, lib. 1. log. cap. 8. Finem actionem*

B

nem



nem suam exercere post reliquas causas. Sententia hac, ut ut aspectu primo sit plausibilis, inspecta tamen accuratius, momenta contrariarum rationum sustinere posse non videtur. Contrariam igitur thesin veritati consentaneam hanc statuimus: Finis, quæ causa est à reliquis causis distincta, & cum reliquis tribus ad communis effecti productionem concurrat, causalitas propria non est perficere effectum. Exempli gratia: sit domus, quatuor causarum concursu: finis, qui habitatio statuatur: efficientis, qui architectus: materiae, quæ ligna, lapides &c. Formæ, quæ partium omnium ad figuram certam recipiendam apta coagmentatio. Dicimus igitur, habitationem, quæ finis est domus, non perficere domum causis suis essentialibus jam constitutam. Idq; tribus rationibus monstramus.

I. Quod omnem finalem causalitatem exercet, ante domum causis suis essentialibus constitutam, id finali causalitate non perficit demum domum principiis suis internis absolutam. Atqui habitatio, quæ finis, finalem suam causalitatem ante domum causis suis essentialibus constitutam omnem exercet. Ergo. Assumptio probatur, quia omnis finis proindeq; & habitationis, duplex est causalitas, testibus philosophorum præstantissimis. 1. Movere efficientem ad effecti productionem. 2. Mediis bonitatem & amabilitatem conciliare. At neutram harum exercet, effecto causis suis essentialibus jam constituto. Hoc enim præsertim & absoluto, movere efficiens & amari media plerunq; desinunt.

II. Habitatio, quæ perficit domum, sequitur eam. Ergo quæ perficit non potest esse finis domus. Ratio consequentiæ est: quia causa prior est suo effectui. At habitatio, quæ perficit, posterior est domo. Non igitur finis est domus.

III. Aut habitatio, quæ domum antecedit & in architecti mente est concepta, domum, ut finis, perficit: Aut quæ sequitur, extra architecti mentem constituta. At neutra ut finis id præstat: non prior, quia posita primùm eâ, domus nondum est, nec perficitur, imò extra causas suas constituta perpetuò deserta, adeoq; imperfecta esse potest. Non posterior, quia ea actu jam existens vel efficientis, vel effecti, vel adjuncti rationem habet: quæ perficit, efficientis, quæ ab alio, effecti, quæ in alio, adjuncti. Approbat posteriorem hanc sententiam Soncinus lib. 5. metaphys. q. 3. ubi, finem actu, in re causis essentialibus constitutâ, existentem, cause finalis rationem non habere docet: idq; firmissimâ hac ratione. Finis, inquit, nunquam



quam habet causalitatem suam, nisi dum est id, cuius gratiâ aliquid fit. At dum est actu in re, non est id, cuius gratiâ aliquid fit: Non igitur causalitatem habet, nec causa est. *Quid ergo? perfici ab habitatione domum negabimus? absit. Ut finis igitur perficit? minimè vero. Efficientis est perficere, non finis. Penes quod enim causa genus est vis corrumpendi, penes idem quoq; est vis perficiendi. Contraria siquidem sub eodem continentur genere. At efficientis est corrumpere. Ergo ejusdem quoq; est perficere. Stat igitur thesis nostra propriam finis causalitatem non esse perficere destinatum, causis suis essentialibus constitutum.*

## PROBLEMA V.

An efficiens causa rectè distribuatur in procreantem, conservantem & corrumpentem? Aff.

**I**ta Ramei efficientis modos generales distinguunt, definiuntq; procreantem, quæ facit ut res, quæ antea non fuit, jam sit, sive substantia ea sit, sive accidens. Conservantem, quæ facit ut res, quæ jam est, porro sit. Corrumpentem, quæ facit ut res, quæ jam est, porro non sit. Ubi est observandum. I. Corruptionem & procreationem significatu generaliori hîc capi, quàm in physicis, referrîq; non ad substantias tantum, sed & accidentia. II. Modos hosce generalissimos esse, & ad specialium, qui infiniti penè sunt, distinctione inventos. Distributio hæc sitne proba nec ne, queritur. Negantem partim sustinet Timplerus lib. 3. metaphys. cap. 2. probl. 47. Nos, rationibus ipsius insuper habitis, affirmantem amplectimur. Rationes sunt hæc.

I. Quot dantur generales & distincti effectorum modi, tot etiam dantur causarum efficientium modi. At modi generales & distincti effectorum sunt tres, procreatum, conservatum, corruptum. Ergo efficiens quoq; est vel procreans, vel conservans, vel corrumpens. Patet propositio, quia cuilibet effeeto sua respondet causa. Probatum assumptio, quia omne quod efficitur, vel de novo fit, vel factum jam corrumpitur aut conservatur.

B 2

Quod



Quod fit de novo, procreanti adscribitur, quod factum corrumpitur, corrupenti, quod conservatur, conservanti.

II. Modi generales efficientium gravissimorum autorum scriptis frequentati & exemplis comprobatis, in logicam disciplinam recte admittuntur. At tales sunt modi efficientis procreantis, conservantis, corrupentis. Ergo: Propositio probatur, quia ex usu primum disciplina hac enata, usui destinata; at usu quod est receptum citra artis injuriam & mutilationem omitti in arte nequit. Ita sane factum, ut de argumentorum, axiomatum & syllogismorum varietate in logicis sedulo precipere, eo quod omnium horum exempla apud autores frequentia occurrerent. Assumptioni fidem faciunt Theologorum, physicorum, politicorum, medicorum scripta, quae de subjectorum suorum generalium & particularium generationibus, conservationibus & corruptionibus agunt. Et sane Theologo tam sedulo inquirendum, quid pietati officiat, quam quid proficiat. Physicus nonne causas rerum naturalium procreantes, conservantes & corrupentes scrutatur? Politicus nonne in causis Republicam conservantibus & corrupentibus investigandis laborat? Quid, Medicus? de sanitate acquirenda & conservanda nonne sollicitus? Causas sanitatem corrupentes ecquis sollicitius indagat? Quid ergo tantopere morosus, Implere, distributionem hanc vellicas, cum ipsemet fatearis, procreationem esse a procreante, conservationem a conservante, corruptionem a corrupente.

III. Quicquid procreatur, conservatur, corrumpitur, ab aliquo procreatur, conservatur, corrumpitur. Dantur igitur causa procreantes, conservantes, corrupentes distinctae. Ratio consequentiae est, quia quod ab alio est, effectum est. Quod effectum est, efficientem habet. Si igitur procreata, conservata, corrupta, effecta sunt, cur non & causa efficientes procreantes, conservantes & corrupentes?

IV. Distributio, quae nec latior est, nec angustior suo distributo, cujusque membra cum toto consentiunt & inter se dissentiunt, legitima est. At talis est efficientis in procreantem, conservantem, corrupentem. Quid ne ergo legitima sit & proba? Propositio notas continet bonae & legitime distributionis. Assumptionem probamus. 1. Latior non esse, sed solo efficientium ambitu contineri constat: nec enim finis, materia, forma, quae tales, procreant, conservant, generant. Quod si tamen effecta hac ipsis nonnunquam tribuuntur, fit id aut improprie, aut, si proprie, quae efficientis naturam induunt; cadit hic tertia Impleri ratio. 2. Angustior non esse patet, quia



quia nulla dari efficientium causarum potest, quæ referri ad aliquam e tribus hisce non possit. At, inquit Timplerus, quæ augent, minuunt, alterant, loco movent, nec generant, nec corrumpunt, nec conservant. Quid audio mi Timplere? quæ augent, nonne majorem partem, quam fuerat absunta, procreant? quæ minuunt, nonne particulas aliquas corrumpunt? quæ alterant, nonne faciunt, ut, quæ antea non erant talia, talia jam sint? hoc, quid aliud est, quam procreare, si vocem significatu logico, non physico tantum, capias? quæ loco movent, nonne & ipsa procreant, dum faciunt, ut hoc in loco jam sint, quæ antea non fuerant? Cadit igitur prima Timpleri ratio. 3. membra distribuentia cum distributo consentire palam est. De ratione enim efficientis est, esse id, à quo effectum est. At vero à procreante, conservante, corrumpente nonne res procreatur, conservatur, corrumpitur, vel, quod idem est, res procreata, conservata, corrupta est? Cadit ergo secunda Timpleri ratio. Denique membra distribuentia inter se dissentire, quis est qui insicias iverit? nec enim procreans, quæ procreans, est conservans vel corrumpens, uti nec corrumpens, eodem respectu, procreans & conservans, uti definitiones singularum docent. Hactenus quintum problema.

## PROBLEMA VI.

An efficiens rectè in solitariam & sociam distribuatur? Dist.

Solitariam logici definiunt, quæ sine aliis effectum producit. Sociam, quæ cum alijs. De veritate distributionis hujus queritur. Sunt qui vitiosam omnino putant distributionem, quorum rationes non vulgares recenset Timplerus lib. 1. system. log. cap. 6. q. 6. & Ursinus lib. 1. dial. cap. 4. diasceps. 1. Tota difficultas seu ambiguitas in vocabulis istis latet, sine alijs & cum alijs, quorum varius esse sensus potest. Efficiens sine alijs operari potest intelligi, vel quæ diversi generis causas nullas admittit, puta nec finem, nec materiam, nec formam: vel quæ generis sui alias omnes simpliciter excludit, ut quæ efficientem aliam paris vel imparis dignitatis respuit: vel quæ generis sui quasdam saltem excludit, ut sociam aequalem, vel administram, vel instrumentalem. His ita explicatis problema resolvimus tribus conclusionibus.

B ;

I. Effici-



I. Efficiens solitaria, quæ omnes diversi generis causas excludat, nulla datur. *Non prima, quia sine fine nihil agit: non secunda, quia nec sine fine, nec sine subjecto vel materia quicquam efficit.*

II. Efficiens solitaria, quæ omnes sui generis simpliciter excludit, præter Deum, nulla datur. *Ratio, quia solus Deus simpliciter independens, omnes autem alie creature à Deo dependent, & sine ipsius ope ne momento quidem consistere, nedum operari possunt.*

III. Efficiens solitaria, quæ aliquas saltem sui generis excludit, tribus modis distinguitur. I. Quæ sine administrâ secundâ & instrumentali effectum producit, *uti multa ab angelis fieri putandum est, illa præsertim quæ per simplicem emanationem fiunt.* II. Quæ instrumentali licet ntatur, administram tamen ad effectus productionem non assumit. *Sic David solus interfecisse dicitur Goliathem, quia fundâ licet sit usus, socium tamen habuit alium neminem.* III. Quæ administram & instrumentalem quamvis adhibeat, sociam tamen æqualem vel principalem non admittit. *Sic Hannibal apud Cannas Apulie vicum solus 50000. Romanorum fudisse dicitur, quia paris autoritatis & dignitatis in isto prælio habuit neminem.* Hactenus sextum problema.

## PROBLEMA VII.

An omnes res creatas habere materiam  
sit probabile? Aff.

**E**Ns creatum est substantia vel accidens. Substantia est corporea vel incorporea. *Queritur igitur, an substantie omnes corporeæ, incorporeæ & accidentia, habeant materiam, è quâ intrinsecè componantur? Affirmantem questionis partem qui sustinuerit, res omnes creatas habere materiam, eadem operâ probaverit, cum extra has nulla detur alia. Placet igitur parti affirmanti subscribere, & assertionis momenta ad solas substantias incorporeas & accidentia dirigere. De corporei enim qui dubitet, è sanis est nemo, nisi forte Timplerum excipias, qui cum alibi, tum lib. 1. system. log. cap. 7. q. 3. assertionem hanc mordicus tenet. Nullam substantiam corpoream propriè & immediatè à Deo ex nihilo produ-*  
Etam



Etiam habere materiam. Unum è Timplero hinc libet querere. Ceditne posse à Deo hominem aliquem propriè & immediatè ex nihilo produci? non negabit, ut confido. Amplius quero, ceditne hominem istum corpus habiturum? Si neget, hominem esse negabit: si affirmet, dabit quod petimus. Corpus enim illud, hominis materia erit aut forma? formam, nisi fallor, esse non dicet. Materiam igitur concedet: adeoq; falsitatis assertionem suam arguet. Sed ad assertionis nostræ probationem.

Primum igitur ecquid absurdi fuerit, si, ut Ens est substantia vel accidens, ita & materia sit substantialis vel accidentalis: Utq; substantia est corporea vel incorporea, ita & materia sit corporea vel incorporea: Utq; forma alia est substantialis alia accidentalis, cur non & materia hac parte ipsi respondeat? arridet hæc ratio Alexandro Alens. 2. p. q. 20. memb. 2. & acutissimo Bonaventuræ in 2. dist. 3. art. 1. q. 1.

II. Si substantia incorporea, fatentibus omnibus, intrinsecè ex actu & potentiâ est composita, ecquid absurdi fuerit materiam ei & formam internam tribuere, illamq; potentiam, istam actum appellare? Cum ferè propria materia & forma in philosophiâ peripateticâ hæc sint nomina; metus inconvenientium, quæ ex hac assertionem pullulatura essent, inanis planè & vanus est.

III. Naturâ & arte sunt accidentia: sunt igitur ex aliquo componente, & per aliquod componens. Ratio consequentiæ est, quia ex nihilo nihil fit. Ut autem magis urgeat ratio, sic informetur: Accidentia à naturâ & arte producta sunt aliquid. Sunt igitur aut ex nihilo, aut ex aliquo: non ex nihilo, quia ex eo nihil fit naturæ vel artis vi: Ergo ex aliquo eoq; vel substantiali, vel accidentali, non substantiali, quia id mutari in accidentale nequit. Ergo ex accidentali, quod est materia.

IV. Accidens nec pura potentia est, nec purus actus. Est igitur quoddam ex actu & potentiâ compositum, non substantialibus sed accidentalibus: materiâ igitur & formâ constat essentiali. Actus enim & potentiæ, quæ entium compositionem ingrediuntur, aliud nihil sunt nisi materia & forma, quicquid vulgo dicant. Quæ contra sententiam hanc à Soncinate 12. metaph. quest. 26. & Suarezio tom. 1. disp. 13. sect. 14. & Timplero lib. 1. System. log. cap. 7. quest. 3. disputantur, ab hac sententiâ nos non dimovent.

PRO-



## PROBLEMA VIII.

An detur necessariò materia prima corporea, à quâ reliquæ omnes pendeant? Neg.

**I**nfini- tum in causa materialis genere dari vulgo credunt, nisi prima aliqua statuatur materia communis, è quâ prima corpora, elementa putantur, sint facta. Falli verò philosophos ita disputantes, facile deprehenderit is, qui cælum & elementa immediatè primum & ex nihilo creari à Deo potuisse, & creata esse crediderit. Assertio hæc neq; philosophia veræ nec Theologia sanæ est contraria. In causa igitur materialis genere infinitum non concesserit, qui tres vel quatuor distinctas planè inter se rerum singularium materias à se invicem independentes affirmaverit. Quid? quod sententia hæc, quæ dubio procul summopere peripateticis displicebit, ab antiquâ peripateticorum scholâ jamdudum sit approbata: docent enim unanimi ferè consensu, materiam corporum cælestium à materiâ corporum sublunarium specie differre, adeoq; non unam primam, sed duas esse primas materias. Quod si ergo due esse possunt, excluso nihilominus è materialis causa genere infinito, quid ni plures? Imbecillitatem philosophici istius discursus animadvertere patres Conimbricenses, ideoque lib. 1. de cælo cap. 2. q. 6. art. 5. ita judicant. Etsi in pullo genere causæ datur progressus in infinitum, non oportet, tamen in genere causæ materialis venire ad unam materiam, eo pacto, quo in genere causæ finalis & efficientis pervenitur ad ultimum finem, unumq; primum efficiens: ita, ut, sicut datur unus finis supremus, singularis, & unum primum singulare efficiens, à quo omnis finis & omne efficiens dependet, ita detur singularis materia, à quâ omnes materiales causæ pendeant.

## PROBLEMA IX.

An forma sit tota essentia? Neg.

**Q**uestio hæc inter veteres peripateticos valdè est agitata: in affirmantibus



tem pleriq; partem inclinarunt, dum materiam ab essentia constitutione  
plane removerunt, rationibus ducti, quas recenset Thoma commentator in  
libello de Ente & essentia, plurimis, tum ipsa quoq; Aristotelis autoritate.  
Nos negantem problematis partem amplectimur ob sequentes rationes.

I. Corporum naturalium, ut hominis & bruti, essentia non est simplex  
sed composita intrinsecè. Ad eam igitur non forma tantum sed & mate-  
ria requiritur. Ratio consequentiæ, quia si totam essentiam absolveret  
forma, simplex ea esset, & non composita.

II. Si anima hominis tota est ejus essentia, sequitur hominem totum  
esse immortalem. At falsum hoc, ergo & illud. Propositionis consequen-  
tia probatur, quia cujus essentia tota est immortalis id ipsum totum est  
immortale. At anima hominis, quam totam essentiam vocant, est immor-  
talis. Totus igitur homo immortalis fuerit. Assumptionem confirmat quo-  
tidiana experientia, & efficacissime demonstrant Sacrae literæ.

III. Materia est pars essentia. E. Forma non est tota rei essentia.  
Antecedens probatur. 1. Quia ingreditur definitionem substantia,  
non equidem per additamentum, ut vulgò loquuntur, sic enim acciden-  
tium more definiuntur substantia, sed ut pars ejus essentialis. 2. Quia  
una cum forma speciem constituit: nec enim sola forma est species. 3. Quia  
est causa interna. 4. Quia cum forma unum per se constituit. Plures  
videantur rationes apud commentatorem Trismeg. lib. 2. comment. 5. q.  
3. cap. 4.

IV. Si forma rei corporea tota est ejus essentia, corpoream rem esse  
spiritualem sequitur. At hoc absurdum. E. Et illud. Ratio consequen-  
tia in propositione est, quia cujus essentia est incorporea, id ipsum est in-  
corporeum. Hactenus ergo nonum problema, cujus affirmativa, quo ad-  
mitti possit sensu, docet Pererius lib. 6. de princip. rer. nat. cap. 8.

## PROBLEMA X.

Forma materiamne an compositum in-  
formet? Posterius affirm.

**R**eceptum vulgò dogma est, materiam à forma informari: quod si pe-  
nitius inspicatur, & ad veritatis trutinam examinetur, levissimum o-  
mnino

C

mnino



omnino & à verò alienissimum deprehendetur. Suademus id rationibus sequentibus exstructis ex hypothesebus peripateticis.

I. Si materia causatum esset forma, forma itidem causatum esset materia. At falsum hoc. E. Et illud. Propositionis consequentiam probabo, cum enim res non minus sit materiata quam formata: quæro, materiata ne sit ratione forma an materia? (compositum enim a forma & materia re distinctum philosophi isti non agnoscunt) Non materia ratione, quia sic materia sui ipsius esset causa. Forma igitur ratione: id quod ex philosophorum istorum opinione longè absurdissimum: sequeretur enim: primum, formam non esse causam sed causatum, non simplex quoddam sed compositum, non incompletum sed completum. Deinde, eandem factam esse ex materia, quicquid enim est materiatum id est ex materia. Tertio, esse formatam: omne enim materiatum est quodq; formatum. Deniq;, nihil constituere, quod enim materiatum, quia tale, nihil constituit sed constituitur, non enim causatum sed causa constituit.

II. Quicquid formatum est, id & materiatum est. Atqui materia non est materiata. Non igitur formata est. Propositio inductione omnium rerum compositarum demonstratur. Assumptio probatur. Nam si materia esset materiata, aut se ipsa aut alia esset materiata: non se ipsa, quia nihil sui ipsius causa, non alia, quia de ea idem quereretur, & sic tandem in infinitum iretur.

III. Materia cum ad rei constitutionem omnino requiratur, constituit rem suo loco, aut antequam est informata, aut postquam est informata. At fieri neutrum potest: non prius, quia sola, absente forma, nihil constituit: nec posterius, quia sequeretur causatum, quatenus causatum, simul esse causam: materia enim quatenus formata, est causatum. Si ergo quæ formata rem constituit, quæ causatum aget, quod absurdum.

IV. Quod forma informat, id constituit. At materiam non constituit. Ergo nec informat. Assumptio probatur, quia materia natura prior est forma, nec in materiam forma introducitur nisi ab efficiente preparatum. Concludimus igitur non materiam sed compositum a forma informari. Et hætenus quidem theoria de causis in genere & specie.

ORNA.



ORNATISS. DN. RESPON.  
D E N T I.

**I**Nter quas homini concessit conditor artes  
Nobilior Logicâ nulla nec utilior.  
Lucet in hac propior divinæ mentis imago  
*Et majestatem res data dantis habet.*

Hanc quicumq; odit, non huic semiuncia mentis  
Invidus inq; homines, impius inq; Deum est.

A tam laudatâ tibi laus palmaris honorq;  
Arte, quod hanc studio, JANE, calente colis.

Ex colit illa tuum ingenium, tuq; ex colis illam  
Sic te alit illa, illam sic benè gratus alis.

*Amico sincero gratulatur  
amica mens & manus*

Friderici Theodori Görl Luf.  
Philosoph. & Theol. stud.

A L I U D.

**Q**ui cupit optatam Sophiæ contingere metam,  
Is crebrò Logicam nocte dieq; legat:  
Hac sine qui studiis cupit invigilare, profectò  
In studiis tempus perdit is omne suis.

Namq; licet relegat doctorum scripta virorum  
Ignarus Logicæ, quid capit inde? parum.

Hæc sophiæ est clypeus, sine quâ sapientia manca,  
In studiis hæc dux unicus esse potest.

Discutit errorum nubem, tum Gordia lora  
Solvit, non potis est hanc superare dolus.

C 2

Maße



Macte igitur quicumq; studeas doctissimus esse,  
Et sterne ad Musas hac ratione viam.  
Tramite consimili mens est tibi tendere, Grafi,  
Ad Musas, dum jam non leve sumis opus.  
Impiger idcirco, Grafi, conscende cathedram  
Publicam, ut his studiis praemia digna feras.  
Defendas Logicam, verè quæ nescia fuci,  
Artem, quâ nil hic pulcrius orbis habet.  
Falsa procul fugiant, victricia vera triumphant,  
Perficias munus non sine laude tuum.  
Non tibi ego invideo; potius sed grator honores  
Annuat ut captis pectore, JOVA, precans.

*Αυτοχρηλασί τῷ Συμβιωτῇ σου  
suavissimo, Ἐφημίας ἐνε-  
κα faciebat*

Christophorus Heideccus.

**F I N I S.**



V017

ULB Halle  
003 252 043

3



Sb.











Farbkarte #13

B.I.G.

16153.

81



A S  
LATUM  
RUM,

S I S

ERE ET  
I E:

o subjecta,  
o, XXVI. Maji,  
tinis:  
IDE

RICO VVENDE-  
MNASII

re:  
ENTE  
GRAFIO  
latino.

T AE  
ANNO M. DC. XV.

